

Syllabus contentorum.

1. Orientii Commonitorum fidelium, cum notis Henr. Leonh. Schurzfleischii.
2. Christ. Gotfr. Stentzelii Liber de aurum blandimenti veris magis quam blandi.
3. Io. Abrah. Birnbaum de natura ac usu studii antiquitatum liber singularis.
4. Io. Christian. Fischeri Selecta et rariova Latii prioris monumenta, obi habentur a) Frid. Gotthilf Marshall dicti Greiff Panegyricus in obitum uxoris Sophie Eliab. Schwartzfelsii. b) Io. Phil. Sieugii Progr. de uno studiorum genere felicendo. c) eiusd. Progr. de hierarchia Romana. d) Christian. Gottl. Schwarzu. Progr. in obitum Christian. Gotfr. Laur. Rinxii. e) Epistole quatuor Selectiones virorum doctissimorum e Mskr. erata. f) Varia poetica, ut a) Vlr. de Hutter Vir bonus. g) eiusd. Oeuvres. Nemo. h) Io. Alexander. Brasiliensi Itav. Omnis. i) eiusd. Elegia Augustus in Iulio. j) Io. Pasquerius Nikil. k) Io. Henr. Aceri. Carmina nonnulla. l) Io. Christ. Fischeri Panegyricus in natalem Frederici III. principis heredis Saxon. Gothani. m) Ec. Oratio de concordia rationis et perspicua elegantiae latina distinctionis. n) Ec. Commentatio de iudicio phrygian filii Romani vulgo neglecto. o) Inscription.
5. Io. Henr. Schusteri Scholion critico-philologicum, in quo genuina indoles linguarum IV. cardinalium, scilicet Germanicae, Latinae, Graecae ac Hebreæ, simul neui quidam in vulgaribus preceptis, nec non aliqua compendia doctrinae abhinc abstantibus.
6. Georg. Christian. Hallbaueri Disj. de recta linguarum discendarum ratione.
7. eiusd. Disj. de scriptura, eis origine, natura et variis modis, praeceps per litteras ex ere fujas.
8. Christ. Gottl. Iocheri Disj. de M. Antonii Triumvi Triomio.
9. Sigism. Frid. Dresigii Comentatio de correctioribz impérii Romani.
10. Io. Christian. Fischeri Disj. de Hubertini clericis Crescentinat, elegantiorum litterarum saeculi XV. in Itala iustificatore.
11. Erhard. Reuchlii Disj. de bibliothecis Romanorum.
12. Mich. Lilienhaldi Disj. de philothecis varior. earundem usq; et abusu.
13. Io. Henr. Martii Disj. de praeceps iudicij antiquioribz litterarum, statutoribz ac Macenatibz.
14. Sigism. Fritzschii Disj. de praeceps iudicij recentioribz litterarum, statutoribz ac Macenatibz.
15. Io. Gottlob. Gutteli Comentatio de lectione monumentorum Grecorum Latinorumq; aromaticis et eis in primis dignitate.
16. Sigism. Frid. Dresigii Animadversiones in Fabri thesaurum continuata.
17. Dan. Guil. Mollerii Disj. de S. Aurelio Victore.
18. Eudo. Disj. de C. Fannio.
19. Io. Gottfr. Hauptmanni Disj. de Atticis.
20. Io. Georg. Eccardi Censura diplomatica Carolini de scholis Osnabrugensis ecclesia Gracis et Latinis, ab obiectione Iudeo. Herm. Nunninghi vindicata.
21. Sam. Florenti Ricini Disj. de projectoribz veteris ecclesia martyribz.
22. Gottlieb Wernsdorffii Disj. de constitutionum apostolicarum origine, contra Guil. Whistonum.
23. Io. Iust. Spier. Disj. qua testimonia patrum V. primorum seculorum de Pauli apostoli itinere in Hispaniam confecta labefactantur.
24. Alexand. Politi Oratio de literarum Grecarum necessitate.
25. Adr. Stegeri Disj. de iugulis sacra dignitatis insignibus.
26. Iac. Perizonii Disj. de rebus atque incrementis Prugorum.
27. Io. Frid. Weidleri Disj. de sacramentalibus.
28. Io. Iac. Syrbii Sententia theologorum nostrorum de determinata futurorum contingentium veritate asserta.
29. Erh. Reuchlii Disj. de immutabilis natura lege.
30. Io. Georg. Waldu. Disj. de episcopo patre spirituali.
31. Eudo. Disj. de variis theologian tradicioni methodis.
32. — Historia transubstantiationis pontificia.
33. — Disj. de formula salutandi apostolicis.
34. Henr. Hlausingsi Disj. de methodo demonstrandi mathematica, ad res theologicas non applicanda.
35. Frid. Iac. Fitthaberi Disj. de eodem arguento.

^{39.}
PROGRAMMA THEOLOGICUM,
DE DISCRIMINE

⁴²
ARTIS
RHETORICAE
ET
HOMILETICAE,

QUO,
^{AD}
PRAELECTIONES PUBLICAS

^{DE}
RE HOMILETICA HABENDAS,
FUTUROS AUDITORES

PRAEPARAT

JOHANNES DANIEL HERRNSCHMID'

S.S. Theol. Lic. huc usque Superintendens, Consilia-
rius Consistor. & Concionator Aulicus in Principatu
Nassovio-Idsteniano, jam Prof. Publ. Theol.
Ord. in Alma Fridericana.



HALAE,
LITERIS ORPHANOTROPHEI
M DCC XVI.

PROGRAMMA THEOLOGICUM
DE DIRIGIMINE

ARTIS

RHETORICAE
ET
HOMILETICAE

QVO

AD

PRAEFECTIOINES LIBRICES

AD

RE HOMILETICA HAROLDVS.
MUTROS AUDITORES
PRAEVARIA

JOHANNES DANIEL HERNSCHMID.

22. JFEG. Lc. pyc. radis superius, Cognitio.

lens Cognitio, pyc. radis superius, Anulus in pyc. radis.

Magnolia, pyc. radis, lata Pyc. Pyp. Jpoc.

Ota, in Aja, Pyc. radis.

ooooooooooooo. oooooooooooooo

H A L A E

LITTERIS ORPHANOTROPHEI

W. DC. XAV





I. N. J.



Postolus Gentium, Paulus,
cum Evangelium prædicans inter Græcos versaretur, si rationis judicium sequi voluisset, haud dubie ornem humanæ eruditio[n]is & sapientiæ apparatum afferre, & optimas eloquentiæ regulas adhibere debuisset, ad nationem istam, literis atque artibus præ aliis excultam, eo facilius permovendam, Christoque lucrandam.

Quam diversam autem ab hoc judicio viam ingressus, & feliciter etiam emensus fuerit, ipse nos docet verbis clarissimis, cum ita scribit: *i. Cor. II, 1.* *E*t ego veniens ad vos, Fratres, veni non secundum excellentiam sermonis, aut sapientie, annuncians vobis testimonium Dei, *v. 2.* Non enim iudicavi (me) scire quid in vobis, nisi Jesum Christum, & hunc quidem crucifixum. *v. 3.* Et ego in infirmitate & in timore, & in tremore multo sui apud vos, *v. 4.* Et sermo meus, predicatione mea, non (fuit) in persuasoriis humane sapientia verbis, sed in demonstratione spiritus & potentie, *v. 5.* ut fides vestra non esset in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

Fortiter sane opponit Apostolus receptis apud Græcos dicens artificis suam Christum annuncianti conlyetudinem, ita

ut singula oppositionis hujus membra summopere mereantur,
diligenti cura inter se conferri.

Tantum abest, cum ad Corinthios accederet, ut ipsorum ingenio suam attemperaret conversationem & prædicationem, ut potius dicat, *ego veniens ad vos*, (quos probe nōram Rhetoricae & Philosophiae maxime deditos) nihil curavi vestrarum artium præcepta, sed deliberato consilio *veni*, sine pomposa ista, qua vestri Rethores excellere creduntur, facundia, & sine laudata etiam illa Philosophorum sapientia; quin, contrario plane studio, simplici narrandi & nunciandi modo usus sum, in testimonio Dei vobis manifestando.

Immo tam longe deflexit divinus Evangelii Præco suam a Corinthiorum expectatione methodum, ut id, quod auribus ethnicorum accidebat durissimum, primoloco, & unice proptermodum, inculcaret, doctrinam nimirum de Christo crucifixo. Ita ut ab artificio Rhetorico, quod argumenta odiosa solerter tegere, verborumque lenociniis involvere jubet, sciens volensque ad maxime diversa discesserit.

Adhac illud etiam ab Oratorum instituto valde alienum est, quod Apostolus fatetur, se inter Corinthios *cum infirmitate, timore & tremore multiplici* (in singulari scilicet tentationis statu) versatum esse; cum Rhetorem intrepidus deceat affectus, vitioque ipsi vertatur timiditas, quippe quæ ad auditores movendos, & rem bene agendam, ineptum eum reddere creditur. Id quod Ciceroni, Oratori alioquin summo, in oratione pro Milone evenisse legimus.

Sed nempe Apostolo vis erat plane alia animos movendi, quam quæ a subsidiis humanæ sapientiæ expectari poterat. Unde etiam, neglegitis persuadendi artibus (quas πειθαρισμοὶ λόγια, persuasoris humanæ sapientiæ sermones, appellat) divina verbi virtute filius, Spiritusque auxilio fretus, Summam Evangelii simplicissime enarravit, & nude credendam proposuit: sic ut evidens esset, eos, qui fidem in Jesum crucifixum suscepere, non arte humana captos, sed vi veritatis spirituali adactos, Apostoli testimonio credidisse.

His

His prælibatis, subit quærere, si profanam & sacram orationem, rhetorican, inquam, & homileticam artem, inter se comparemus, utrum cum humanæ eloquentiæ præceptis, an vero cum Paulinæ prædicationis simplicitate magis illa convenire debeat?

Negari sane nequit, Apostolos longe sublimioribus Spiritus donis, adeoque excellentiori spiritualis facundia talento, instrutos fuisse, quam ulli hodie Christiano sperare fas est, aut affectare. Interim & illud in dubium vocari non potest, quod Christianus, Evangelium prædicaturus, rectius Paulum, quam Demosthenem & Ciceronem, sibi sumat imitandum. Quodsi enim non dubitamus, ea hodiernæ Ecclesiæ Ministris applicare, quæ Apostolus primario de se suisque cooperariis pronunciat, scilicet quod sint ministri Christi, & Oeconomi Mysteriorum Dei, i. Cor. IV, 1, quid ni pari jure, quæ idem de suo prædicandi modo scire nos voluit, ad imitationem nobis scripta esse credamus?

Posito igitur hoc fundamento, si verum fateri volumus, ita de studio homiletico judicandum erit, ut dicamus, concionandi illam artem tantum extra limites vagari, quantum, præterita, Paulinæ regulæ semita, ad πεθεὶς ἀνθεπίνης σοφίας λόγια deflestat.

Hoc monito non prostratum imus utilia consuetæ homileticæ præcepta, quorum usus quo modo ad publicam adhuc ædificationem aliquid conferre queat, infra breviter indicandum erit; sed occasionem tantum subministrare cupimus Studiosæ Juventuti, caute instituendi studium homileticum, & moderandi effusam alias artificia rhetorica sectandi licentiam.

Clarius elucebit moniti veritas & necessitas, si humanam dicendi artem cum Apostolica methodo adhuc proprius conferamus, ita ut, quæ imitanda nobis sint, vel minus, ex ipsa collatione nobis fiat perspicuum.

Dubio caret, quod, si *subjecti* conditionem respiciamus, ingen sese prodat utriusque diversitas. Rethores græci, iisque succedentes Latini, utpote hodiernæ Rhetoricæ autores, homines fuerunt, utut scientiis & artibus humanis bene instructi, defituti tamen divinæ veritatis lumine, sique virtutibus etiam ge-

nuinis vacui, quippe quæ non nisi ex fide, per Spiritus S. gratiam, in corde nasci, & in verba, gestus, actionesque progerminare possunt.

Paulus autem quanto excellentiæ gradu illuminatus & sanctificatus fuerit, omnibus Christianis notum est. Cooperarios ejus etiam regenitos, adeoque divinæ sapientiæ luce collustratos, & pietatis non fucatae decore ornatos fuisse, nemo est, qui negare queat, aut debeat. Subiecta itaque oratoriæ utriusque toto genere differunt.

Non minus, respectu quoque intentionis & scopi, Rhetores ethnici, atque Christiani Apostoli imitatores, plurimum a se invicem discrepant. Illorum enim finis erat, persuadere auditorem ad aliquid credendum vel faciendum, sive verum esse, sive falsum, sive bonum, sive malum. Hinc etiam vulgo describitur Rhetorica, quod sit *ars persuadendi in utramvis partem*.

Hi autem, Apostolus scilicet & discipuli ejus, non alium prædicationi suæ scopum præfixum habent, quam *salutem*, spiritualem atque æternam, tum suam, tum eorum, qui ipsos audiunt. I. Tim. IV, 16. Sciunt enim, *Evangelium*, quod annunciant, quamvis nudò & simplici sermone propositum, esse tamen potentiam Dei, ad salutem omni credenti; unde eos illius nusquam & nunquam pudet. Rom. I, 16.

Tam insigni intervallo cum finis atque intentio utrorumque a se invicem discedat, quid mirum, si Media etiam ad finem ducentia in longe diversa abeant?

Rhetor certe ethnicus, sive laudandum sibi aliquid sumeret vel vituperandum (in genere demonstrativo) sive deliberationi quid exponeret, (in genere deliberativo) sive denique coram judicio causam quandam ageret, (in genere judiciali) argumenta persuationis non semper vera conquisivit, sed saepissime falsa, veritatis tantum fuso obducta, quibus, per verborum pompam, & troporum figurarumque lenocinia exornatis, omnia adjecit movendorum affectuum artificia, contentus, si auditores in suam pertrahere posset sententiam, sive vera, salutaris, & justa fuerit ea, sive minime talis.

Orator

Orator autem Christianus, imbutus Paulino sensu, ejusmodi per svadendi stratagematibus nec opus habet, nec utitur. *Ex bono boni cordis thesauro bona profert, & ex plenitudine cordis os loquitur.* Luc. VI, 45. Necesse, ut multi, qui verbum Dei canponantur, sed ut ex puritate, sed ut ex Deo, in conspectu Dei, in Christo, loquitur. 2. Cor. II, 17.

Evidem non una prorsus eademque stili phrasiumque indele Apostoli, aliqui p̄i viri, usi sunt, naturali tamen cuique, & nequaquam affectata. Idem fuit omnium Spiritus, eadem fides, unicus scopus, distinctae tamen ingenii dotes, & diversa etiam *χαρισματα.* Ita nimurum placuit Deo, adeloquium sacrum instruere servos suos, ut naturam sanctificaret, non tolleret, & conseruidines, in se haud malas, purificando perficeret, non eradicaret.

Jam igitur, ut id, quod ex hactenus dictis concludendum arbitramur, breviter & planissime explicemus, manifestum esse credimus, Homiletices sacræ Studiosum, ut in dicendo Apostoli Apostolicorumque virorum potius, quam Rhetorum secularium, fiat imitator, sequentes debere sibi ob oculos ponere, & curæ cordique habere regulas præliminaires.

I. Ut sit ipse talis, quales predicandi officio alios efficere cupit, aut presumit. *

Itaque prima & primaria Concionatoris futuri cura esto, ut toto corde se convertat ad Dominum. Congruum enim est, *penitentiam, & fidem in Christum,* prius ipse didicerit ac expertus sit, qui alios publice, de penitentia & fide, officiisque Christianis, instruere, monere, redarguere, castigare aut consolari, audet. vid. Rom. II, 17.

Hypo-

* *Prefessor Aquitanus L. I. de Sito, contempl.* Ad hoc finit vivendum est Sacerdoti, (Concionatori), ne dicta sua repugnariibus facili evaneat, si, quod predicat fieri debere, non faciat, aut si, quod non facit, predicare presumperit. Et *Augustinus L. IV. de Doctr. Christ. C. 27.* Habet, ut obedientes audiatur, quantacunque granditate dictio[n]is, maius pondus vita gientis. Nam qui sapienter & eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quanvis anima[s] sua[s] inutilis &c.

Hypocrite sane sunt sensu maxime proprio, * qui, ut veteres fabularum actores Regis aut Principis in theatro, ita ipsi Doctoris Evangelici non nisi personam agunt pro rostris sacris, & simulos gestus emendicatis accommodant verbis. Indignos profecto, qui res divinas eloquantur, dum eas neque fide venerantur, nec obsequio.

2. Ut, tanquam idoneus Dei homo, & ad omne opus bonum exacte preparatus, inter alios versari, & e suggestu docere queat, S. Scripturam, que sola ad hoc opus instruere potest, pio & assiduo tractet studio, & non veritates tantum exinde bauriat credendas atque faciendas, sed ipsum etiam, qui in illis regnat, experiri sequique studeat spiritum. **
2. Tim. III, 14-17.

Equidem mirandum est, a multo iam tempore, usus, qui vocantur, homileticos, didascalicum, clementicum, epanorthoticum, pendulum, ex hoc ipso dicto de promtos, in consuetam methodum receptos, multisque semper fere ob oculos & in ore fuisse, cum tamen S. Scripture, quod hoc loco Paulus tam enixe commendat, a plurimis Homiletis neglectum aut contemtum fuerit studium. Inimo hodie nra non desunt, quibus hermenevtes & exegeseos sacræ fastidiuntur & vilipenduntur exercitia, & qui aliunde potius, quam ex sacris literis, suam dicendi facultatem compararentant. Quis autem non videt, falli eos & fallere, qui eloquentiae artem sectantur, rerum, circa quas occupari debet, parum studiosi, & qui ista audent eloqui, quorum nec justam habent cognitionem, nec amorem, aut experientiam.

3. Ut Eloquentia ecclesiastica efficaciam non querendam putet in artificiois præcipue humana sapientia subsidiis, sed ut in rerum potius pondere

* Hoc sensu Epicteti illud hac voce uititur Enchir. Cap. XXIII. Mēmnon, ὅτι ταῦτα φίλος οὐδὲ μάλος, οὐδὲ διαγόνος οὐδέποτε πατέρας.

** B. Gerhardus in Mech. Stud. Theol. P. III. Sect. I. c. i. Sicut per preces cum Deo loquimur, ita per verbum suum Deus loquitur nobiscum. Preces sunt canales, per quos ecclesiæ sapientia ad nos deryatur; verbum est fons illius sapientiae, ex quo derivatur. Idem P. I. cap. 3. Scripturae non converti possum in opera, nisi per divinam gratiam, & Spiritus S. efficaciam, quae absque precibus in nobis locum non habent.

dere, & spiritus sancti operatione per pias preces impetranda, * primam colloctet fiduciam. **

Nec enim irrationalis aut superflua judicari debet consuetudo, qua orator Ecclesiasticus, non semel, sed saepius, etiam publice, conceptis precibus Spiritus S. sibi auxilium expetit. Omnis vetus haec Ecclesia observatio de veterum sententia nos reddit certos, quod scilicet non ab humanis ingenii viribus, nec a quibuscumque facundia conatibus, effectum spiritualem speraverint, sed quod & fructuose dicendi & recte audiendi facultatem a sola Spiritus S. gratia expectandam crediderint.

4. Ut omni occasione exercenda methodi catechetica, & inservienda secundum illius leges etatis puerilis, fideliter ac labentissime utatur, cum persuassimus esse beatum, magnam exinde, ad futuras munera ecclesiastici functiones eopromptius obeundas, adeoque ad praxin quoque homileticam eofelicius exequendam, perceptum iri utilitatem.

Experientia certe testatur, quod qui quæstionibus perspicue formandis, responsionibusque apte suggestoribus, adseverant, facilissimo negotio analysin cuiusque textus tractare discant, facultatem etiam adipiscantur, animi cogitata clare atque distincte explicandi, nec non parrhesiam, absque operosa & onerosa memoriarum fatigacione, casibus variis id poscentibus, quidlibet ex penitus cordis libere & intrepide proponendi. Quid? quod eadem experientia teste, & divina promittente veritate, singulare illud charitatis opus, quod in instruendis animabus teneris suscipitur & peragitur, insignis gratiae merces manet, qua in utilitate supra laudata primordia capit, & si pari fide ad finem usque continuatur diligentia, æterna etiam complectitur præmia. Ubi vero catecheticae methodi docendo exercenda opportunitas deficit, sedulo quærratur ejus auscultandæ occasio, talis præsertim, qua viri exercitati

* Chrysost. L. 1. de or. Deo: Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est & vita carens, expersus & lanae mentis. Nam hoc ipsum evidentissimum est amentice argumentum, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere perfunsum, quod anime mors sit, non provolvit ad Dei genua.

** Hilarini L. 1. de Trin. Expectamus, ut trepidi hujus coepii exordia incites, & profectu accrescente confirmes, & ad confortum vel propheticam vel Apostolici Spiritus voces, ut dicta eorum non alio, quam ipsi loquuntur sunt, sensu apprehendamus, verborumque proprietates iisdem rerum significationibus exequam ir, &c.

ti exemplo suo præentes observari posunt , siveque nunquam
poenitendi , & præsentis ædificationis , & futuræ habitudinis , fru-
ctus , abunde poterunt colligi .

5. Ut artis homiletica , qua academice docetur , precepta , eo animo
fuscipti , eoque scopo adhibeat , qui cum traditis jam monitis confessere , ei-
que congrue subordinari posse .

Etenim , ut supra diximus , non sublatam omnino cupimus
Homileticam , sed justum tantum ei ponit optamus pretium , bono-
que eam tractari ordine . Fatemur , in ritibus Ecclesiæ receptis
non temere aliquid mutandum esse , neque inficias imus , homi-
letica etiam præcepta suam præbere utilitatem . Interim appro-
bari nequit , si ea in immensum extollatur , ita ut præ ipsiis magis
necessariae contemnantur aut negligantur Theologiae partes : ex
illa enim confusione non possunt non summa , tum i psis conciona-
toribus , tum futuris quoque illorum auditoribus , subnasci damna
& nocumenta . *

Quodsi autem , scopo & ordine nunc paucis indicato , Theolo-
giae Studiosus homileticen aggrediatur descendam , sperari utique
potest , tum ad sensum sacri textus profundius rimandum , tum et-
iam ad recte dispensanda , perspicueque proferenda , Dei eloquia ,
eum evasurum esse multo aptiorem & exercitatiorem . Id quod
in prudenti Collegiorum homileticorum tractatione , secernendo
abuso a vero usu , luculenter commonistrari potest .

Hæc etiam causa movit procul dubio , primis jam seculis , &
ævo recentiori , pios Ecclesiæ Doctores , ut concionandi quan-
dam methodum non tantum ipsi adhiberent , sed etiam alios
docerent .

Quod ad veteres Ecclesia Patres attinet , aliqui eorum rhetorican
dicendi facultatem exercuerunt ante suam ad Christum conver-
sionem , & , cum per fidem postea sanctificata esset , non sine sin-
gulari auditorum commodo , illa usi sunt . Exemplo esse possunt
Justinus Martyr. , *** *Athenagoras* , *** aliisque ex Græcis ;

* Vid. B. D. Speneri insigne & eximium de re homiletica judicium , quod , ex Præfatione Tabb.
bedophilis prefixa excerptum , in fine harum paginarum legi potest .

** De quo legi potest Eusebius H. E. L. IV . c. VIII . XVI . XVIII .

*** Vid. eius Apologia pro Christianis ad Imperatores Antoninum & Commodum , ac Conf.
Hist. Magdeb. Cent. II . p. 198 .

D. P. B. (o) B. H.

Tertullianus * Cyprianus ** & suo modo Augustinus, *** è Latinis. Alii, Christianis Parentibus nati, non plane negligendam censuerunt, ut reliquam Philosophiam, ita rhetoricaem etiam artem, eo præcipue fine, ut cum Oratoribus atque Philosophis Ethnicorum his etiam armis certare possent. Id quod legimus de Origene, *** de Basilio M. Gregorio Nysseno, **** Nazianzeno ***** etiam, aliisque.

Interdum cum ex vita & functione civili, ad Ecclesiæ munera vocarentur, comparatam ante facundiām, in cathedram sacram secum attulerunt, quod de Ambroso habemus in competito. *****

In his probatae pietatis viris rhetoricaem artem, gratia divina opitulante, veros etiam fructus protulisse, nullum esse debet dubium. Interim mentem prius discat & imitetur, quam linguam, qui ab iis exemplum capiendum censem.

Reformationis Evangelicæ tempore B. Lutherus, † fatentibus omnibus, singulari eloquii dono præ aliis pollebat & eminebat, sed ingenio magis & gratiæ debebat, quam arti rhetoricae, eloquentiam suam. Florebat tunc, in Ecclesia noviter restaurata, Apostolica quædam in dicendo simplicitas & efficacia, cuius ope, intra annos haud ita multos, Evangelium non Germaniam tantum pervasit universam, sed in dissitas etiam penetravit provincias.

Postmodum, præente maxime Philippo Melanchthoni, Aristotelica Philosophia, novo habitu induita, scholas subintravit publicas, sive Rhetorum præcepta paulatim ad artem quoque concionatoriam cœperunt accommodari. Prodierunt etiam, primo

B 2

a Re-

* Ab Enseb. H.E. L. II. cap. II. *Vir in Romanis Legibus exercitatus*, & præterea celebris, etiam inter eos, qui Romæ illustres fuerunt, appellatur.

** Ante conversionem suam Rhetoricaem professus est. Vid. de eo Hieronymus de Script. c. 53. & ipse hic referendus *Lactantius*, Jnft. L. V. c. I. nec non *Erasmus* L. XXVIII. Ep. 6.

*** Vid. ipius *Confess.* L. V. c. XIII. L. IX. c. II. & V.

**** Vid. Enseb. H.E. L. VI. c. 14. seqq. **** Ruffinus H.E. L. II. c. 9. **** Greg. Nyss. in or. suebri.

***** Ex Socrate H. E. L. IV. Cap. XXX. & Theodoreto, L. IV. c. VI. VII. nec non *Sozom.*

L. VI. c. XXIV.

† Hier. Wellensis in *Confl. de Stud. Theol.* Solus Lutherus hoc artificium tenuit, ut de rebus arduis tam clare, tam perspicue & simpliciter dicere & scribere potuerit, ut etiam pueri scripta eius possent intelligere: hanc laudem cum nullo ἀγνοεῖ habet communem.

a Reformatione seculo nondum finito, varia homiletices compendia, v.g. Forsteri, Sacci, Pancratii, Hier. Welleri, Hemmingii, Jacobi Andrea, aliorumque, in quorum tamen præceptis antiqua quædam observatur simplicitas.

A B. Ægidio Hunnius* tempore, ut in aliis, ita in hac quoque Theologiae parte, nova sese periodus exseruit, & comptior quædam concionandi methodus adhiberi cœpit.

Seculo XVII. jam adulto (circa annum scil. 1632.) B. Hulsemannus methodi, quæ hactenus paſſim floruit, Lipsiensis jeciffe videtur fundamenta, quibus Hodegeticum Carpzovianum, & reliquorum, qui insequuntur sunt, Autorum libellos homileticos, ornato licet ampliore & exquisitiore, ut plurimum superstructos esse, haud abs re quis dixerit.

Cæterum tanta est hodie Institutionum homileticarum, a ceteris etiam Viris editorum, copia, ut vel brevem earum recensionem paginæ nostræ excludat angustia.

Quod igitur fieri solet in aliarum rerum abundantia, ut ipsa feliciter industria fatigat ac impedit multitudine atque varietas, id etiam in studio hodie contingere concionatorio, non adeo est mirandum. Itaque omnino e re est Studiose Juventutis, ut in Collegiis, que vocantur, Homileticis, via ipsi commonstretur proxima, qua inoffensio pede incedere, & missis ambagibus, ad scopum suum recta pervenire queat.

Cumque & mihi, *divina dirigente gratia*, a POTENTISSIMO BORUSSIAE REGE, e munere Superintendentis, Consil. Consist. & Concionatoris Aulici, quo in Principato Nafffvio-Idffiano haſtentus fungebar, clementissime vocato, ordinaria Theologiae Professio publica nuper sit demandata, fvaſi & consilio Maxime Reverende Facultatis Theologice, *Praelectiones* hoc ſemeftri publicas rei Homileticæ docendæ destinavi, ita, ut pari gradu preceptorum eo spectantium primo genitum ſeruum, deinceps legitimum illorum ſum, si Deus vires vitamque concerferit, perſpicie oftendere animam induxerim.

Hoc igitur Programmate futuros hujus Collegii Auditores præmonere & preparare volui, ad perfum hoc una mecum dextre aggrediendum, feliciterque abſolvendum. Reliquas quoque offici partes, auxiliante Deo fideliciter obire, & Collegia tum publica tum privata, prout necessitas aut occasio' fvasura est, suo queque tempore & ordine, aperire ſtudebo. Et quidem tempore hiberno publice (diebus C & Q) a III. ad IV. vesp. theoretico diebus autem X & XI ad II. præcece, rem Homileticam ad ductum Elementorum Homileticorum ven. Dn. D. Antonii, privatim autem horis jam conſervis Pafforale a Magnifice Dn. Prorectore ceptum, præcece Thul. Pafforale Max. Rev. Dn. D. Joh. Mich. Langi, bono cum Deo, diligenter pertraſtatur sum. Faxit T. O. M. qui in ecclesiis est Pater, ut docentes difcentesque magis magisque proficiamus in omni sapientia & cognitione spirituali, ipſe inspirerit nobis sacrum Evangelice veritatis amorem, sive regat corda & labia noſtra, ut & bene ſentiamus, &, ubi eloquio opus est, fructuose diſferamus, per Dominum nostrum, Filium Dei unigenitum, Jesum Christum, Amen.

B. D.

* Qui 1603. mortuus est, bieñius post celebratum, cui ipfe interfuit, Colloquium Ratisbonense.

B. D. PHILIPPUS JACOBUS
SPENERUS,

In Präf. ad Tabb. hodosophicas
Dannhauerianas,

De

Re homiletica verissime & gravissime
monet sequentia.

De Homiletica etiam aliquid dicendum est, cuius, quatenus Hermeneutica & Exegetica contradistinguitur, & in Oratoria sola consistit, cultum nimium non ego solum, sed mecum multi alii cordati, inter præcipua impedita studiorum sacrorum reponunt, idque omnijure. Postquam enim pretium oratoriæ isti Ecclesiasticae pro sua dignitate nimium ab annis non ita multis (nam avorum memoria minus operæ ei impendi solebat) a quibusdam constitui cœpisset, multi, judicio hoc occupati, juvenum in Academias abeuntium animos illa noxia admodum persvassione impleverunt, cum suggestui destinati sint, & præcipua Ministerii pars consistat in concionibus habendis, non melius se studiis consulturos suis, quam si concionandi artem calleant. Unde quorundam hac opinione fascinatiorum prima & ultima cura hæc est, ut Homiletica tractent, dicendique ex arte modum discant, quid olim dicant ut discant omnino incurri; illis non absimiles, qui de calceorum affabre consuendorum poliendorumque artificio unice solliciti, de mediis corii comparandi, vel etiam aprandi, plane securi sunt, undefit, ut aliquando hoc mendicando quererere necesse habeant, aut eo deficiente ex charta, membrana, aut alia materia inepta calceos ad regulas artis consuant, satis elegantes, sed usus nullius. Quid enim aliud speremus de hominibus, qui, cum nec credenda nec agenda debita cum cura animo conceperint, eumque habitum sibi comparaverint, ex quo olim dicenda, accedente debita meditatione, ultro succurrant, omnem operam oratorie Ecclæsia-

clesiaſticæ impendunt, de diſponendi, amplificandi, illuſtrandi
 artificio ſolliciti, & quidquid huc facere videtur, omni labore
 congerentes, ut aliquando methodice & ornate dicant, non tam
 quod cœtui ad ædificationem in primis profuturum erat, quam
 quod methodum, quam ſibi elegere, ſuppeditare aut poſtulare
 opinantur? Unde ſi bona dicunt, dicunt ex aliis, utinam non
 magna plerumque cum *āneſtola* mutuo ſumta aut exſcripta, quæ
 ſæpe nec ſatis intelligunt, adeoque nec recte applicant. Hi ſubdi-
 diarii auſtores ſpem ſi fallant, dicunt inepta, & qualia exſpe-
 ctes ab hominibus Theologæ veræ ignariſ, quorum præcipua
 cura fuit oratoria leges diſcere, & diſpoſitionum formulas, tamquam
 unicūm ſapientiae theſaurum, colligere, atque in hiſ omnem
 ſuam collocare fiduciām. Hoc tam noxiūm cacoethes, quo tot
 juuenūm, ingenio alias ſatis valentium, ſtudia plane pellumdan-
 tur, dignum eſſet publica etiam, ne latius ſerperet, coercione;
 ſaltem non rectius doctores Academici de auditorib⁹ ſuis mere-
 ri poſſent, quam ſi omni occaſione, omniue animi contentionē,
 dirum iſtum errorem illorum animis evellan, oſtendentes, hunc
 præcipue ſcopulum eſſe innumeris naufragiis infamem. De me
 proſiteri poſſum, cum plurim⁹ Candidatorum examinando-
 rum munus etiam mihi incumbat, ex illis, qui, de methodo ſtu-
 dii ſui in genere quæſiti, ſe Homileticæ operam navaffe, mihi re-
 ſponderunt, rariflimos in examine ita ſtetiffe, ut non præpoſte-
 ræ iſtius induſtriae noxa ad oculum apparuerit. Quæras ergo,
 nullumne credam Homiletices uſum? Hoc vero non dixerim,
 id tamen adſerere confidens, tantum non eſſe, quantum pleris-
 que creditur. In plurimis concionibus plus demonstrationis ſpiri-
 tuſ & virtutis (ἀπόδειξη πνεύματος ναι διδάχεως) quam artis &
 πειθῶν αὐθεωπίνης σοφίας λόγων deprehendi optarim, ad iſtam ve-
 ro quam ad illam oratoria hæc magis ducit, immo ad illam duce-
 re non poſteſt, quam vellem, ut non ſæpius abducere! Cum,
 qui ejus amore nimio capti ſunt, quomodo quave ſerie, quam
 quid dicant, plerumque magis penſi habeant, malintque audito-
 rib⁹ minus profutura, ſi methodi leges id exigere credantur,
 proponere, quam contra harum præſcriptum, ac ita ἀμεθόδως,
 inha-

inhærere iis, quibus salus hominum efficacius promovēretur. De hisce methodi equidem legibus in universum judicare meum non est; miror tamen, esse, qui rem liberam, nimirum de rebus di-
 vinis ad populum, ejus ædificationi, ut hæc exposcit, verba
 faciendi studium, ausint certis legibus ita determinare, ut in vi-
 tio ponatur, si hæc non ante oculos semper sint, præcipuum vero
 laudem reportet oratio ad superstitionem usque ad illas exacta.
 Spero equidem, qui Ecclesiasticam hanc orationem tradunt, non
 ea esse temeritate, ut hanc suis tribuant regulis auctoritatem,
 quam discipuli plures, forte præter ipsorum sententiam, jactant,
 seque & alios omnes istis astrictos volunt, tamquam legibus. cum,
 qui præscripserunt, consilia dare voluerint, quæ sequi, & ad lu-
 bitum omittere, cuivis sit integrum. Interim non abnuerim,
 quibus sermones formare difficilius est, aliquod subsidium sibi ex
 eo parare posse, si, ex oratoriis præceptis, rem satis cognitam,
 ut ab audientibus facilius percipiatur, certo & commodo ordine
 disponere & dicendi facilitate clariorem reddere discant: qui, meo
 quidem sensu, Homiletices aut unus aut præcipius fructus apud
 illos est, quibus non laus eloquentie, sed profectus auditorum solus
 finis est. Unde talibus potissima cura est, dum studiis operam na-
 vant, ut apparatum cognitionis solidæ, de omni re divina locu-
 plementem admodum, comparent, quo *Theticum & Exegeticum* stu-
 dium faciunt, ex quo suo tempore larga manu admetiantur,
 quæ concioni fidei & vitæ proderunt, eo dicendi genere, quod
 omnem vim suam, non a verborum & *ρητορικ* artificio, vel au-
 res demulciente elegantia, sed a rerum, quas tractant, insita
 virtute, & dicentium serio zelo repetat: Rhetorices præceptis
 illi tantum futuris usui, ut assuecant, majori perspicuitate, &
 commodo ordine, quæ velint, eloqui. Intra hos terminos re-
 dacta *Homiletica* prodesse potest, quæ immoderatus exculta,
 nunc multis nocet, facitque, ut, qui concionatores, istius be-
 neficio, aliis litteris neglectis, evadere unice laborant, ne qui-
 dem concionibus alicquando, nempe ex vero usu Auditorii, ha-
 bendis idonei fiant, verborum plerumque fluxu aures demul-
 cen-

centes, cordibus manentibus intactis. In primis in ipsa Homiletica illum quorumdam nævum observandum, vel vitandum potius, existimo, qui grammaticandi nimio studio tenentur, & ex hoc vocis, quæ forte occurrit, usum grammaticum prolixè ex concordantiis recensent, et si materia, ubi vox occurrit, plane loco non sit parallela, nec omnino analoga. Quæ recitatio vocabulorum Hebraicorum & Græcorum prolixa ædificare populum non potest, cum tamen hujus salutis suprema lex concionatoris, adeoque etiam Homile, esse debat.



AB 154893


AB: 154893



3

St

VDT 7.





39.
**PROGRAMMA THEOLOGICUM,
DE DISCRIMINE**
**ARTIS
RHETORICAE
ET
HOMILETICAE,**
QUO,
AD
PRAELECTIONES PUBLICAS
DE
RE HOMILETICA HABENDAS,
FUTUROS AUDITORES
PRAEPARAT
JOHANNES DANIEL HERRNSCHMID!
S. S. Theol. Lic. huc usque Superintendens, Consilia-
rius Confessor. & Concionator Aulicus in Principatu
Nassovio-Idsteniano, jam Prof. Publ. Theol.
Ord. in Alma Fridericana.

*HALAE,
LITERIS ORPHANOTROPHEL
M DCC XVI.*